

Propositiones Theologicæ:

QVOD VNVM ET
IDEM EVANGELIVM SIT,

in Ecclesia inde usq; ab initio. Et, Quòd uno
eodemq; modo omnes saluentur, FIDE
in CHRISTVM MEDIATOREM.

De quibus

*IN ACADEMIA VVITTEBER-
gensi, Divina favente clementia, Die XXI. Fe-
bruarii, Hora VII. loco consueto pu-
blicè disputabitur:*

Præside

Henrico Maio Sangerhusano

S. Theologiæ Doctore & Professore:

Respondente

Nicolao Dethleuuo
Hamburgensi.

VITTEBERGAE


Mattheus Velak excudebat, Anno 1589.



...theologiae
...VIVAM ET
...SIT
...in Christo

...De quibus
...ACADEMIA
...Parte

Henrico Mario Sarsenhusiano
...theologiae



Respondens
Nicolas Dethleffus
Hamburgensis

WITTEBORGAE

...Anno 1787



THESES

Disputationis Theologicæ,

Quòd

Vnum & idem sit Evangelium in Ecclesia, inde usq; ab initio. Et, Quòd uno eodemq; modo, FIDE, omnes electi salventur.

I.

VITALE est, & propter doctrina certitudinem, & consolationem, valde necessarium, sæpe multumq; considerare testimonia, quibus se DEVS ab initio mundi, Ecclesia patefecit, & testatus est, se verè cura salutis nostræ affici, & velle, ad eum modum agnosci, invocari & coli, quem in verbo suo, tradito per Prophetas & Apostolos, nobis monstravit.

II.

Imprimis verò, omnes homines, decet ad promissionem Evangelij, quæ & gratuita est, & uniuersalis, solaq; fide apprehenditur, oculos mentesq; suas advertere.

III.

Hac enim sola, est fundamentum Ecclesiæ: eamq; à cæteris gentibus distinguit. Ideoq; Philosophica sapientia, nequaquam ulli hominum, ad salutem verumq; Dei cultum, in hac caligine & dubitatione multiplici, sufficere potest: teste Apostolo: *Mundus per sapientiam, Deum in sapientia Dei non cognovit.*

I. Cor. I.

IIII.

Mentes etiam nostræ, immundiciem suam intuentes, si nihil nisi vocem legis audiunt, non possunt de Deo statuere, quod velit ignoscere, exaudire preces, & opitulari. Quia lex & ratio non docent nobis peccata gratis remitti.

V.

Hinc quicquid nobis naturaliter de Deo, eiusque providen-

A 2

tia

tia & iudicio superest, fluctibus & procellis dubitationum non aliter concutitur, quàm unda & arena ventis contrarijs in syrtibus egitata.

VI.

Assensio enim, in tanta rerum humanarum confusione laeguescit, & in multis, omnis noticiarum de Deo naturalium lux, horrendis tenebris involvitur, ac quandoq; prorsus extinguitur, ut prodigiosa quorundam Philosophorum disputationes, & querela in Tragædijs, ostendunt.

VII.

Ne igitur primis parentibus post lapsum, atq; adeò uniuerso generi humano firma consolatio, & certa ratio ac norma cultuum & morum deesset, Deus pro immensa sua bonitate, ex arcana sua sede, & luce omnibus creaturis ignota prodiens, promissionem Euangelij, revelavit, legemq; etiam post repetiuit, & ministerio
2. Pet. 1. Prophetarum & Apostolorum illustravit, ut hæc doctrina diuinitus tradita, esset *λύχνος φάνων ἐρ' αὐχμηρῶ τόπω, ἕως οὗ ἡμέρα δεικνύσῃ, καὶ φωσφόρος ἀνατείλῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν.*

VIII.

Ad id verò, facit in primis Euangelij promissio, qua Deus affirmat se gratis, propter filij sui intercessionem velle recipere, promunciare iustos, & acceptare ad vitam eternam, omnes qui in vera conuersione hac fiducia ad eum accedunt, & credunt, sibi hæc propter solius Christi meritum contingere.

IX.

Hanc Filius Dei, qui est *λόγος καὶ ἕκαστος τῶν πατρῶος ὁμοῦσι καὶ συναῖδι*: quiq; patris voluntatem perfectè novit, secundum abundantiam amoris erga nos sui, primus annuntiavit, ostendens, se in arcano consilio Diuinitatis constitutum esse, Mediatorem, Iustificatorem, Redemptorem & Salvatorem, qui *λύτρον* seu æquivalens precium, pro genere humano, iusticiæ divinæ persolvat, iram DEI in se derivet, & diaboli operibus destructis, nobis promissioni gratiæ assentientibus & in ea acquiescentibus, restituat iusticiam & vitam eternam.

Qua?

X.

Qua de causa merito ab Apostolo vocatur hac doctrina λόγος τῆς ἀληθείας: εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας, λόγος καταλλαγῆς: μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων. Et σοφία Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ κεκρυμμένη. Quia omnibus creaturis sine hac revelatione, esset ἀνεξιχνίαστος, mansissetque, ipsa in omnem aeternitatem ignota, teste Christo: Nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Item Baptistam inquit: Deum nemo vidit unquam: Filius Dei qui est in sinu Patris, ipse revelavit nobis.

Eph. 1.
2. Cor. 5
Col. 1.
Ephes. 3.
Matt. 13.
Iohan. 1.

XI.

Et nunc quoque post ipsius revelationem, creaturarum captum & intelligentiam longè superat, & sine peculiari luce S. Sancti, in hac mentis nostrae caligine, nec percipi nec retineri potest: iuxta illud Pauli. Homo ψυχικός, h. e. vivens vita & sensu naturali sine S. Sancti illuminatione, non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei.

1. Cor. 2.

XII.

Imò propter hanc ipsam patefactionem, Filius DEI ab Esaiâ cap. 41. Evangelista. & cap. 9. consiliarius: Et à Mal. cap. 3. Angelus Testamenti: Et à Iohan. cap. 1. & à Paul. Coloss. 1. λόγος: Et à Nazianzeno & Eriphanio ἐπαγγελτικός καὶ ἐρμηνεύς μεγάλων βιβλίων λέγεται τῷ Θεῷ dicitur: quia est persona ab initio ad Ecclesiam à Patre missa, ut arcanum illud decretum de redemptione & salvatione Generis humani proferat, instituat & conservet in genere humano Ministerium, dicat consolationem in cordibus, monstrata Patris voluntate de nostra salute, & regat pios consilio, in vocatione & ærumnis, dans eis S. Sanctum qui est ἀρχαῖων τῆς κληρονομίας εἰς ἀπολύτωση τῆς περιποίησεως: Et Spiritus gratia & precum. Et sua virtute mentes nostras contra dubitationes, & metum in periculis confirmet: quemadmodum scriptum est: Non dedit nobis Spiritum timiditatis sed roboris, dilectionis & castificationis.

Ephes. 1.

2. Tim. 1.

XIII.

Sicut autem una est lex, & iudicium Dei omnibus temporibus

A 3

bis

bus aduersus peccatum, siquidem in omnem aeternitatem manet eadem & immutabilis sapientia & rectitudo voluntatis in Deo, in Decalogo manifestata: Ita non plura, sed unum est Euangelium & una promissio per Filium in Paradiso prolata, & subinde ad Patriarchas repetita, ac postea per Prophetas illustrata, sicut dicitur: Deus promisit Euangelium per Prophetas in scripturis sanctis. Et ipse filius idem confirmat inquit, Si crederetis Mosi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit, Item, Non est aliud Euangelium.

Rom. 1.
Ioh. 5.
Gal. 1.

XIII.

Est quoque unus Mediator Dei & hominum, homo IESVS CHRISTVS. Sicut & una tantum est via salutis de qua Christus dicit: Ego sum via, veritas & vita. Et Iohannis inquit: In ipso (Christo) vita erat & vita erat lux hominum. Item, Quotquot eum acceperunt, dedit potestatem fieri filios DEI, his qui credunt in uomen eius.

1. Tim. 2.
Ioha. 14.
Ioha. 1.

XV.

Oportet enim hunc Dominum Ecclesiae suae notum esse: Nec imaginari nobis licet, ullibi unquam Ecclesiam fuisse sine aliqua promissionis & Euangelij de Christo noticia: Quia semper hic cetus fuit, est & erit Ecclesia DEI in quo sonat non sola vox legis, sed etiam promissio gratiae dexterae intellecta.

XVI.

Inde omnes electos, qui unquam salvati sunt, uno eodemque Spiritu sanctificari, indubitato, asserimus cum Paulo, qui dicit: εν σωμα, η εν πνευμα, κα δουε η εκληθητε εν μιαν ελπιδι της κλισεως. Et, habentes eundem Spiritum Fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur. Et cum Petro: DEVS καρδιογνωσις testimonium perhibuit, dans illis S. Sanctum, sicut & nobis & nihil discrevit inter nos & illos: Fide purificans corda eorum.

Eph. 14.
2. Cor 4.

Act. 15.

XVII.

Eadem promissio saepe repetita est ad Patriarchas, & fidelis insti-

institutione propagata, ad ipsorum posteros, etsi maior pars ab ea
semper descendit.

XVIII.

Nam Filius DEI, cuius deliciae sunt, esse cum filiis homi-
num, ut dicitur Proverb. 8. quiq. semper, ut Tertullianus ait, ad
humana colloquia descendit, ab Adamo usq. ad Patriarchas & Pro-
phetas, hanc ipsam promissionem, anno à condito mundo 2023. sed
anno ante ipsius Ἰησοῦ Χριστοῦ, 1940. disertè renovavit.

XIX.

Ac fuit haec repetitio valde necessaria. Nefandis enim
Idolorum cultibus mundo polluto, & Patrum doctrina collapsa,
Abraham (qui & ipse Idolatra erat, teste Iosua cap. 24.) divinitus
ex Vr Chaldaeorum, nullis suis meritis, sed gratis secundum bene-
placitum DEI, evocatur, accepta hac promissione: **IN SEMINE**
TVO benedicentur omnes gentes. Gen. 12.
& 22.

XX.

Significari autem utrumq. certum est. Nimirum, omnes
gentes esse maledictas & oppressas, peccato, morte & damnatione
aeterna: Veruntamen futurum, ut per Abrahae semen (qui est
CHRISTVS) Deo reconcilientur, & rursus ab omni maledicti-
conone liberentur. Gal. 3.

XXI.

Ita ipsos Apostolos hanc promissionis vocem esse interpreta-
tos, constat cum ex alijs eorum concionibus; tum vel maximè ex
cionibus Pauli Eph. 1. & Gal. 3.

XXII.

Tandem crescentibus posteris Abrahae, promissio à Iacobo
Patriarcha ad tribum Iuda traducitur: Iuda tu es, te laudabunt
fratres tui, manus tua in cervice hostiū tuorum, genu flectent tibi
filij Patris tui. Catulus Leonis Iuda, de praeda filii mi ascendisti,
demisit se & accubuit veluti Leo, & tanquam vetulus Leo. Quis
excitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, & legislator de
pedibus eius, donec veniat Siloh; Et ad illum gentes congregabun-
tur.

XXIII.

Quia autem illa familia propter regiam dignitatem erat amplissima: Deus, ne quid vel erroris vel ambiguitatis promissio haberet eam tandem arctius astringens, & Thesin, ut ita dicam, ad ὑπόθεσιν transferens, soli posteritati Davidis commisit, ut apparet 2. Sam. 7. & 1. Par. 17.

XXIII.

Vult enim Deus sciri, in qua gente, quoq; loco & tempore hunc Mediatorem sit manifestaturus in carne: suumq; regnum ipse sit inchoaturus.

XXV.

Ac ne denuò hæc promissio obscuraretur & collaberetur, subinde in populo Iudaico, qui verè erat Ecclesia Dei, excitati sunt Prophetae, quorum voce & ministerio hæc doctrina de promissione Evangelij & de Messia persona, officio, regno, beneficijs, eorumq; applicatione, paulatim clarius tradita & illustrata fuit, ut est, videre in Davide ipso, in Esaia, Ieremia, Daniele, Michaa, Zacharia & alijs.

XXVI.

Inceptum igitur est, cogitare (quod quidem faciunt nimis ἡδαιζοῦτες) Evangelium esse novum doctrine genus, ignotum prioribus parentibus & Prophetis, per quos tamen id nobis Prophetatum est, idq; tunc demum esse exortum, cum per Christum & Apostolos prædicaretur & literis postea mandaretur. Sed potius ita status amicus, unam & eandem esse promissionem Evangelij propriam de gratuita remissione peccatorum, de reconciliatione & de hereditate vite æternæ donandæ per fidem in Filium Mediatorem. Eamq; patribus & omnibus verè Ecclesie membris in veteri testamento inde usq; à prima promulgatione fuisse notam, ut non immeritò Iohannes Evangelium vocaverit, Evangelium æternum.

Apoç. 14.

XXVII.

Macctatio enim agni Paschalis (ut de alijs sacrificiorum Lec
vincto

viticorum ceremonijs nunc taceam) non tantum fuit signum, ad
monens eos de præterita liberatione, sed etiam de futura, que do-
nanda erat credentibus per Filium, factum pro peccatis nostris vi-
ctimam veram, de qua dicitur Esa 9. Libertas super humeros eius.
Et Iohan. 8, Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.

XXVIII.

Pascha enim nostrum teste Paulo, immolatus est Christus. 1 Cor. 15
Quare idem dixit, iusticiam Fidei, quæ per Evangelium revelatur,
habere testimonium à lege & Prophetis. Rom. 3

XXIX.

His verò positis & concessis, sequitur, quod nulla contradic-
tione labefactari & everti potest: Omnes pios & hæredes vitæ eter-
næ, ante & post Christum incarnatum uno & eodem modo fuisse
salvatos & adhuc salvari, videlicet, Fide, id est, fiducia misericors
diæ propter Christum promissæ.

XXX.

Ideoq; Paulus Rom. 4. ut perpetuum Ecclesie de hac doctrina
consensum ostendat, gravi consilio allegat ex Mose omnium scri-
ptorum antiquissimo, exemplum Abrahæ, de quo scriptura, testis
fide dignissima, commemorat: Eum credidisse Deo, & reputatum Gen 15.
hoc illi esse ad iusticiam.

XXXI.

Et paulò post addit idem Apostolus: Non esse scriptum hoc, Rom. 4
tantum propter ipsum, quod id imputatum fuerit ei: Sed etiam
propter nos, quibus imputabitur, si credimus in eum, qui suscita-
vit Christum à mortuis.

XXXII.

Quò magis reprehendendi sunt, non tantum qui fingunt, tres
fuisse leges: Legem scilicet naturæ, legem Mosaicam, & legem
Euangelicam: Et contendunt, quod etiam faciunt Amphyctiones
Synodi Tridentinæ Sess. 6. cap. 21. Homines propter observatio-
nem

nem seu opera cuiq; legi, suo tempore prestita, salvatos esse, & ad
huc salvari.

XXXIIH.

Hæc imaginatio gratiam obscurat, meritum victima & obe-
dientia Filij DEI, peccatiq; nostri atrocitatem, extenuat, discrimen
legis & Euangelij confundit, & pugnat ex diametro cum
Eph. 2. his dictis Pauli. Gratia salvati estis per Fidem, idq; non ex nobis, Deû
Rom. 3. donum est non ex operibus, nequis gloriatur. Et, Ex operibus legi-
& Dan. 2. bus nulla caro iustificabitur in conspectu Dei. Et, Et qui operatur,
Rom. 4. merces non imputatur ex gratia sed ex debito: Ei verò qui non
operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur Fi-
des sua in iusticiam. Item, Si qui ex lege heredes sunt, inanis
Rom. 4. facta est Fides, & irrita promissio. Et, Si data fuisset lex, quæ
Gal. 3. posset vivificare, verè ex lege esset iusticia. Sed conclusit scri-
Gal. 2. ptura omnia sub peccatum, ut promissio ex Fide IESV CHRISTI
daretur credentibus. Et, Si per legem est iusticia, Christus sine
Gal. 5. causa mortuus est. Et, Ecce ego dico vobis: Si circumcidamini,
Christum nihil nobis profuturum. Testor enim rursus omni homi-
ni, qui circumciditur, eum esse debitorem totius legis servanda,
Evacuati estis à Christo, quicumq; per legem iustificamini & gra-
tia excidistis, &c.

XXXIII.

Fædissimè etiam hallucinatum, asserimus Cinglium, Thamo-
merum, Latomum & similes, qui infinitam confusionem faciunt,
& fingunt Ecclesie membra & heredes gratia & vite eterna ubiq;
esse, Ethnicos & alios, quorum mores sunt honesti.

XXXV.

Sic enim Cinglius scriptum reliquid in expositione Fidei
Christiane ad Franciscum Regem Galliarum Christianissimum.
Hic tibi sperandum est, ô piissime Rex, si modo instar Davidis, Eze-
chie & Iosia rerum summam à Deo tibi creditam, moderatus fue-
ris, visurum esse, primum: Numen ipsum in sua substantia, in
sua specie,

sua specie, cumq; universis dotibus opibusq; illius, fruiturumq; his omnibus non parcè, sed ad sacietatem, non ad fastidium, quod fere me comitatur saturitatem, sed ad iucundam impletionem, que perinde non afficitur, tædio, atque flumina, dum perpetuo in mare defluunt, & per terræ abissum refluant, nullum adferunt rebus humanis tedium, sed commodum potius & gaudium semper rigando, latificando, ac nova germina fovendo &c. Deinde sperandum est tibi, visurum esse sanctorum, prudentium, fidelium, constantium, fortium, virtuosorum omnium, quicumq; à condito mundo fuerunt, sodalitatem, cœtum ac contubernium. Hic videbis duos Adam, redemptum, & redemptorem: Hic Abelem, Enochum, Noham, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Iudam, Moysen, Iosiam, Gideonem, Samuelem, Pineham, Heliam, Isaiam, ac Deiparam virginem, de qua ille præcinuit, Davidem, Ezechiam, Iosiam, Baptistam, Petrum, Paulum. Illic Herculem, Theseum, Socratem, Aristiden, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones. Hic antecessores tuos & quotquot in Fide hinc migrarunt, maiores tuos videbis. Et summatim: Non fuit vir bonus, non erit mens sancta, non fidelis anima ab ipso mundi exordio, usq; ad consummationem, quem non sis isthic cum DEO visurus, &c.

XXXVI.

Hac confusione, quid doctrinæ Evangelij de Fide, quæ mysterium fuit absconditum à seculis & pro immensa Dei bonitate per Filium revelatum & deinceps per Patriarchas, Prophetas & Apostolos, subinde in sola Ecclesia repetitum & illustratum, magis contrarium minusq; ὑποδυπώσαι τῶν ὑγιαίνοντων λόγων congruum, dici cogitariq; potest.

XXXVI.

Nam quod quidam, hanc Cinglij assertionem sic declarant, excusant, mitigant & defendunt: quasi voluerit, Ethnicos istos morum honestate, vitæq; integritate præstantes, non

B 2 fuisse

fuisse prorsus sine fide (quod & ipsum, Cinglius non obscure innuit) sed ex aliqua arcana & peculiari revelatione, sine predicatione & meditatione verbi, agnitionem Christi & gratiae promissae habuisse, hoc est, Eos non tantum fuisse praeditos Fide historica, quam aliquibus largimur, ut quos in Aegyptum profectos, Biblia sacra in Graecam linguam sumptibus Ptolemæi translata, legere potuisse atq; etiam legisse non inficiamur: Sed etiam Fiducia, acquiescente in Deo, gratiam & misericordiam suam propter Mediatorem promittente: Id certè antequam dicerent probandum ipsis prius esset, & probari vix posse villo scripturae testimonio existimo, cum multi ex iam commemoratis, fuerint vel manifesta idolatriæ authores, ut de Numa proditum est, vel desperatione oppressi omniq; consolatione vera destituti, miserè perierint, quod de Hercule furente, seq; in rogum (occisis prius libris) præcipitante, & de Catone Uticensi manus sibi inferente, compertum habemus: vel absurditate huius doctrinæ offensi, prorsus eam ut fabulosam irriserint, nec eam intellexerint, quod de multis Philosophis atq; ipsis etiam Sibyllis quidam in scriptis retulerunt.

XXXVIII.

Nec video, quomodo Enthusiastarum raptus & illuminationes, quæ multi hypocritæ, contempto ministerio publico in sinu fovent, solide possint refutari, si locum aliquem mitigationi & interpretationi sententiæ Cinglianae, eo, de quo iam dictum est, modo, concedere volumus.

XXXIX.

Parum etiam iuuantur, auctoritate Lutheri, cuius memoria nobis est gratissima, qui, vi ^{ὡς ἐξ ἁγίων} Cinglij obijcere solent, fortuitæ cuiusdam misericordiae Dei aliquoties meminit, cuius participes Ethnicos quosdam factos scripsit, eosq; inter ἀνόθεοις ἐν λαβείς, quorum mentio fit Act. 2. retulit. Loquitur enim non de ijs, quorum tantum vita & mores honesti sunt, & qui alieni erant ab Ecclesia: & ignari promissionis: Sed qui Patrum & Prophetarum doctrinam fuerant amplexi, seq; fide & confessione salutis, per &
pro-

propter semen benedictum promissæ, societati Ecclesie adiunxerunt, atq; in hac Fide Deum invocaverunt, etiamsi non essent nati ex posteritate Abrahamæ, nec $\omega\rho\sigma\kappa\lambda\upsilon\delta\omicron\iota$. Verba Lutheri extant in Com. Gen. Tom. 6. V Vitteb. Latin. cap. 4. fol. 74. item fol. 79. & 536. qua ibi videantur.

X L.

Cinglio impudentior fuit Latomus Theologus Lovaniensis qui dixit: Non esse aliam fidem in Abrahamo, quam qualis fuit, in Socrate, Cicerone, Xenophonte & alijs.

X L I.

Et si enim, in illis est insignis quædam noticia legis de Deo, qua & esse Deum, & præcipere obedientiam, iuxta discrimen honestorum & turpium, mentibus humanis impressum, intellexerunt: tamen propterea non est in eis vera Fides, de qua promissio Evangelij concionatur. Et, Quia de reconciliatione per & propter Filium Mediatorem cum DEO, & de gratuita acceptatione ad vitam æternam, que sapientia sola, est fundamentum Ecclesie, eamq; ab alijs sectis & gentium congregationibus discernit, nihil quicquam cognoverunt, neq; crediderunt, nequaquam in numero membrorum vere Ecclesie à S. Sancto sanctificatorum, sunt habendi, multo minus patri isti sanctissimo, quem scriptura $\delta\epsilon\omicron\pi\upsilon\epsilon\upsilon\sigma\theta$, κατ' ἐξοχήν appellat, iustum, eumq; facit exemplum & patrem omnium credentium, equiparandi.

Esa. 41.

Gal. 3.

Rom. 4.

X L I I.

Nec obstat, quod etiam donis alijs, sicut & motibus Heroicis & virtutibus præclaris fuerint excellentes. Id enim factum est tantum generali actione, qua Deus omnibus creaturis suis adest, ac imprimis in genere humano aliquos præ alijs, sapientia, ingenio, virtute, & autoritate exornat, ut politie seruentur, nec Cyplopica barbarie, omnis inter homines societas, in hac civili vita sollatur.

B 3

Ingen^s

XLIII.

Ingens verò discrimen inter eos & pios facit, consideratio causa efficientis, formalis & finalis.

XLIII.

Nam Ethnicorum actiones honesta, gubernantur luce rationis, suntq; externa & qualiscunq; affectuum moderatio, ac folia ficus, ventis leviora caducis, ac immunda hypocrisis, Deoq; displicens, & ad suam gloriam, coram mundo aucupandam directa; At virtutes seu motus verorum & vivorum membrorum Ecclesie accendantur ac reguntur à Spiritu S. suntq; interni, & quia fiunt in fide & cum invocatione ac diriguntur adhuc finem ut prestetur obedientia Deo, Deusq; gloria afficiatur, fiunt etiam cultus Dei, habentq; promissiones cum in hac tum in futura vita.

XLV.

Thcl. 33 Quare Latomo, Thamnero, & alijs quam plurimis, qui finxerunt Ecclesiam sine noticia promissionis de Christo & sine ministerio: Et quorum oculi, Ethnicorum morum, eorundemq; virtutum splendore perstringuntur & moventur, ut eos vivis membris Ecclesie à Spiritu S. illuminatis annumerare audeant, opponimus præter ea, quorum etiam supra aliqua facta est mentio, hæc dicta scripture, maxime perspicua & illustria, quæ ostendunt & probant omnes salvandos ante & post Christum incarnatum, salvatos esse & adhuc salvari: SOLA FIDUCIA misericordie propter Christum promissa, sine ullis operum suorum meritis & dignitate.

XLVI.

Act. 15 Act. 10 Iohan. 1. Baptista inquit, Ex plenitudine eius, omnes nos accepimus, gratiam pro gratia. Act. 15. Deus qui novit corda, dedit eis (patribus & alijs in veteri Testamento) testimonium, dato ipsis Spiritu S. sicut & nobis, nihilq; discrevit inter nos & illos, FIDE purificante corda. Idem Credimus nos salvari per gratiam Domini nostri, sicut & illi salvati sunt. Idem Apostolus, auctoritatem synodi omnium Prophetarum, & universalis Ecclesie consensum allegans inquit: Huic Christo, omnes Propheta testimonium perhibent

bent remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Item, Omnes estis filij Dei per Fidem in Christo Iesu. Gal. 3

XLVII.

Atque huc etiam pertinet, dictum illud: IESVS CHRISTVS heri & hodie, idem est & in secula. Quod intelligatur non tantum respectu aternitatis Christi: sed etiam respectu officij, quod ab initio gessit in Ecclesia, ut dicitur: Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech: & respectu beneficiorum, quae omnibus pijs ab Adam usq; ad finem seculi, uno eodemq; modo distribuuntur. Heb. 15. Psal. 110

XLVII.

Per hunc enim Mediatorem & deprecatores, reconciliantur Deo, liberantur à lege, & iustificantur omnes credentes, qui fuerunt, sunt, & erunt, siquidem, diversa tempora, non mutant Fidem, nec modum salvationis, etiamsi patefactiones & propagationes doctrinae fuerunt quandoq; diversa.

XLIX.

Hinc quoq; dicitur: Agnus occisus est ab origine mundi. Apoc. 13 Nam & haec verba confirmant, quod iam saepe diximus: Patres agnovisse, Messiam esse Mediatorem & Redemptorem, & merito huius victimae & obedientiae futurae, gratis receptos & salvatos esse: quemadmodum de Abrahamo dicit Christus: Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum. VIDIT ET GAVISVS EST. Ioh. 8

L.

Illis verò, qui nescio quam nobis pra pijs patribus prerogativam coram Deo affingunt, nostrosq; gemitus & preces faciliore aure ab eo exaudiri, eumq; nobis in novo Testamento magis propitium esse existimant, quam sanctis in veteri testamento contigit, oponimus Regulam: De Deo & de ipsius voluntate non ex nostris imaginationibus, sed ex verbo divinitus per Prophetas & Apostolos tradito, esse iudicandum.

L I.

Deinde opponimus ijs, manifestas de DE I equalitate erga omnes, nulla habita, vel sexus, vel generis, vel conditionis, vel temporis ratione, assertiones: quales sunt. Non est distinctio Iudæi vel Græci. Idem enim Dominus omnium, dives in omnes à quibus invocatur. Item, Vnus Deus & Pater omnium qui est super omnia & per omnia & in omnibus. Item, Deus non est προσωπολήπτης, ἀλλ' ἐν παντί ἔδνει, ὁ φοβούμενός αὐτόν ἢ ἐργαζόμενός διαισοῦν, δεκτός αὐτῷ ἐστίν. Item: nihil discrevit inter nos & ipsos &c.

Rom. 10.
& Gal. 3.
Eph. 4.
Act. 10.
Act. 15.

L II.

Nihil enim minus Deo convenit, quam προσωπολήπια inæqualem se præbens ijs, qui inter se sunt æquales: de quibus dicitur: προητισάμεθα, hoc est, causis redditis ostendimus, Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse. Item, Non est discrimen, omnes peccaverunt & carent gloria DEI. Iustificamur autem gratis, ipsius gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo, quem proposuit Deus nobis propiciatorem per Fidem nitentem in sanguine eius.

Rom. 3.

L III.

Non itaq; nos in novo Testamento plus de promissione gratiæ & vitæ æternæ, quam p̄j Patres in veteri Testamento, accipimus, nisi quod nobis Evangelium, clarius post Christum, Solem iusticiæ, exhibitum, illuxit, & per Apostolos annuntiatum fuit, quam olim, cum ipsius aduentus adhuc expectabatur: sicut scriptum est: Nunc propior nobis salus est quam cum credebamus. Item, Mysteriorum hoc non innotuit filijs hominum, ut nunc reiectum est sanctis Apostolis & Prophetis per Spiritum.

Rom. 13.
Eph. 3.

L II I.

Utraq; enim testamenta, quo ad Christum, (qui est fundamentum Ecclesiæ, & obiectum totius scripturæ sacræ, teste Davide Psal. 40. in libro de me scriptum est) quam suavissimè concordant, seq; non aliter respiciunt, ac in arca fœderis duo Cherubim stantes super propiciatorium alas iungunt & sese contuentur.

Psal. 40.

Vnde

Vnde etiam veteres dixerunt, vetus Testamentum esse fontem noui: Sed nouum Testamentum esse lucem veteris. Vt enim lux meridiana clarior est quam aurora: sic predicatio Christi & Apostolorum plus habet lucis, quam conciones Patrum & Prophetarum.

His pulchrè consentiunt Ignatius, Augustinus & Leo Sic enim Ignatius: οἱ προφῆται καὶ οἱ ἀπόστολοι ἐν καὶ τὸ αὐτὸ ἅγιον πνεῦμα, ἀγαθὸν καὶ ἠγεμονικόν, ἀληθές τε καὶ διδασκαλικόν ἔλαβον παρὰ θεοῦ διὰ ἰησοῦ χριστοῦ, εὐθὺς πνεῦμα. εἰς γὰρ ὁ θεὸς παλαιᾶς & καινῆς διαθήκης εἰς ὁμοίτητες θεοῦ καὶ ἀνθρώπων: εἰς τε δημιουργίαν νοητῶν καὶ αἰσθητῶν, καὶ πρόνοιαν πρόσφορον & κατάλληλον. εἰς δὲ καὶ ὁ παρὰ κλητῶν, ὁ ἐνεργήσας ἐν μωσῆ καὶ προφήταις καὶ ἀποστόλοις πάντες οὗτοι οἱ ἅγιοι ἐν χριστῷ ἐσώθησαν ἐλπίζοντες εἰς αὐτὸν καὶ αὐτὸν ἀναμείναντες. καὶ δι' αὐτῶν σωτηρίας ἔτυχον, ὄντες ἀξιαγάπητοι καὶ αξιοθάυματοι ἅγιοι, ὑπὸ ἰησοῦ χριστοῦ μεμαρτυρημένοι ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τῆς κοίτης ἐλπίδος. Augustinus verò ita ad Optatum Episcopum Africanum scriptum reliquit: Eadem est fides nostra & illorum. Quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum. Vnde dicit Apostolus: Habentes eundem Spiritum Fidei, secundum quod scriptum est: Credidi propter quod locutus sum. Si ergo eundem Spiritum fidei & illi habebant, qui venturum in carne Christum pronunciauerunt, quem etiam illi, qui eum venisse nunciauerunt, sacramenta potuerunt pro temporum diuersitate esse diuersa, ad unitatem tamen eiusdem Fidei concordissimè recurrentia. Idem ad Dardanum: Non audemus fideles nostri temporis præferre amicis Dei, per quos nobis ista prophetata sunt, Et Leo, Vna, inquit, Fides iustificat vniuersorum temporum sanctos.

Nam quod Scholastici diuersitatem Sacramentorum prætendunt quæ alia fuerunt in veteri, alia in nouo Testamento, atq; inde etiam diuersitatē modi saluationis inferre conantur, infirmū est: Et hoc dicto Pauli refelluntur. Patres nostri omnes sub nube fuerūt, et omnes per

In Epist.
ad Phila-
delphos.

Epist.
157.

Epist. 57.

In serm.
14. de Na-
tiuit.

per mare transferunt, & omnes in Mosen baptisati sunt nube & mari. Et omnes eandem escam Spiritualem comederunt, & omnes eundem potum Spiritualem biberunt. Biberunt autem ex comitante Spirituale Petra, Petra verò erat Christus. Hinc Augustinus: Sacramenta, ait, illa fuerunt in signis diversa, sed in re in Iohan. quæ significatur paria sunt.

LVIII.

Stat igitur sententia immota: Et unum & idem Evangelium semper in Ecclesia sonuisse: & homines uno & eodem modo semper salvatos esse, & deinceps salvari usq; ad resurrectionem mortuorum universalem: Nec quidquam esse dissonantia inter vocem Prophetarum & Apostolorum, nisi quod Propheta de venturo, Apostoli verò de exhibito, Messia concionantur.

LIX.

Cætera sunt eadem. Nam beneficia Messia (quia sunt totius personæ, non unius nature tantum) pertinent ad universam Ecclesiam à principio mundi usq; ad finem. Et cuicumq; datur unum. ei certum est dari simul omnia, ut dicitur, DOMINVS pastor meus nihil mihi deerit. Item, Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quia apud te est fons vitæ. Item, Omnia nobis cum ipso dedit.

F I N I S.






ART. 1284

X 2206854

nc





IIⁱ
1284

iones Theologicæ:

VNVVM ET
ANGELIVM SIT,

usq; ab initio. Et, Quòd uno
do omnes saluentur, FIDE
VM MEDIATOREM.

De quibus
EMIA VVITEBER-
ente clementia, Die XXI. Fe-
ra VII. loco consueto pu-
cè disputabitur:

Præside
laio Sangerhusano
ia Doctore & Professore:

Respondente
no Dethleuuo
Hamburgensi.



T E B E R G A E
ak excudebat, Anno 1589.